

# 399 Disp.X. Part.IX. an agēs agat in dist: &c. 400

tatis acquiretur, nihilque per condensationem deperdetur.

Inflat tamen solent communiter; Occupatio loci pertinet ad quantitatem, ergo maior occupatio loci ad maiorem pertinebit quantitatem: sed rarefactio est maior occupatio loci, ergo rarefactio maiorem indicat quantitatem.

Respondebis quantitatem esse de se occupatiā loci, loquendo de quantitate secundū eius effectum externum; nam quantitas formaliter sumpta non occupat locum actualiter; Corpus enim Christi in Eucharistia vere est quantum, non tamen occupat locum; at dum dicitur, ergo maior loci occupatio maiorem indicat quantitatem, nego conseq̄ens; hoc enim est per accidens; maior quidem quantitas de se, & ceteris paribus, id est, si eius partes non sint minus inter se distantes, quam partes minoris quantitatis, nec partes minoris quantitatis, quam partes majoris, tūc maior quantitas maiorem occupabit locum: at verò si partes majoris quantitatis sint valde inter se indistantes, partes verò aliorum minoris quantitatis sint valde inter se distantes, tunc minor illa quantitas aquale, aut forte maius occupabit spatium, quam major quantitas.

## Partitio IX.

*An agens posſit agere in distans non agendo per medium?*

*Statu. comp.  
transversa.*

Satus controuersiā probatur via naturali; proponitur autem, & resolvitur communiter à Theologis in 1. sentent. distinſ. 37. Scoto, Durando, Licheto, Bassolis, & alijs Theologis, dum quārunt, an ex operatione Dei in omnibus rebus infallibiliter colligi debeat eius immensitas? id ipsum etiam inquirunt Thomistæ post D. Thomam primā partē quæst. 8. vi Bannes, Nazarius, Molina, & alijs: Physici vero fere omnes in sepimo Phys. circa cap. 2. ex occasione dictorum Aristotelis aientis mouere, & mouere debere esse contigua.

Scotistæ assertunt agens naturaliter agere in distans non agendo per medium, communiter tamen tenerunt contrarium à Thomistis, & alijs, imò quidam existimant, ne quidem diuinitus id possit fieri, vt Molina primā partē quæst. 8. art. 1. disp. 2. & Ruuius in sepimo Physicor. cap. 2. quæst. 2. melior tamen pars & Philosophorum, & Theologorum admittit dictam possibiliteratē viā supernaturali, quod nimirus agens diuinitus possit agere in distans non agendo per medium, seu posse agere, vbi non est præsens per se, nec per suam virtutem, hoc est, neque præsens presentiaitate suppositi, neque præsentiaitate virtutis: argumentis virimque propositis totam controverſiam componemus.

## Clypeus Primus.

*Quod agens posſit agere in distans non agendo per medium.*

*Num. 32.  
Off. ratio-  
nes, proban-  
tes, quod ad  
geni agere*

I Dema videtur esse quārere, an agens possit agere in distans non agendo per medium, & quārere, an agens posſit agere, vbi non est præsens

per se, neque per suam virtutem? additur nec per <sup>posſit in di-</sup>  
<sup>stante non agen-</sup>  
<sup>do per me-</sup>  
<sup>dium.</sup>

Quod autem id sit possibile, probari solet

primo quibundam experientijs. Prima est: Ignis <sup>Primo.</sup>

calefacit supremam partem lebetis replete aqua,

non verò fundum lebetis; ergo non agit in fundum lebetis, agit tamen in eius partem superiore.

Secunda: Fascinationes fiunt in distans;

nam fascinator fascinat ex pluribus hominibus,

quos vult, alijs non fascinatis. Tertia: Quidam

piscis vocatus torpedo stupefacit manum pescatoris non agendo per medium: item magnes attrahit ferrum distans non agendo per medium.

Quarta: Candela recenter extincta reparatur, &

concipit ignem ab aliquo spatio. Quinta: Lupus rauco facit homines de longinquitate.

Sexta: Phantasia residens in capite mouet cor, & plures alias partes corporis alijs intermedij non motis.

Sepima: Obiecta sensibilia producunt species

in potentia v. g. visuā valde distanti. Octava:

Angelus alloquitus alium Angelum valde distans non alloquendo intermedios Angelos.

*Secondo.*

Secondo probatur ratione: Si aliquid impedit actionem in distans, esset, aut quia actio in distans sese haberet veluti motus localis, repugnat autem motum localēm esse ab uno ad alium locum non transcende per medium: vel esset, quia agens, & passum se habent ut actus, & potentia, actus autem, & potentia se debent mutuò contingere: vel quia agentia creata sunt limitata virtutis: sed nihil horum impedit; non primum; non enim actio transiens (de qua sola hic est sermo) se habet ut motus localis; nam motus localis necessariò debet esse in medio, priusquam sit in extremo: at agens dum dicitur emittere suam virtutem, non sic intelligendum est, quod aliqua entitas exeat extra agens, & separatur per medium usque ad ipsum passum, sicut aqua, quæ proiecitur ab uno loco ad alium, transit per totum medium: sed sic intelligendum est, dum dicitur, quod agens emitat suam virtutem, quod scilicet agens de potentia passi existens intra spharam agentis educat virtutem, ut puta calorem ex potentia materiæ ipsius passi; non est ergo necesse, ut transeat per medium: non etiam secundum allatum impedit; nam agens, & patiens non se habent propriè ut actus, & potentia. Deinde actus informans, & potentia informata debent esse simili, non verò actus agens. Adde quod agens, & passum sufficienter dicentur esse simili, modò passum sit intra spharam agentis: neque tertium impedit; nam agentia creata dicuntur esse limitata naturæ, non quod debeant immediate esse coniuncta suis passi, sed quia non possunt agere ad distanciam quamcumque, eò quod habeant ex natura sua determinatam sua activitatis spharam.

Tertio probatur: Nisi detur actio in distans, agens tantummodo possit agere in superficiem contiguam; illa enim sola superficies est indistans ab agente; sed de facto agit in multa alia remota, quā sit passum sibi contiguum, ut patet experientia.

R. 4

*Quarto:*